

Johann Michaelis Petrus Rungius

Illustrium Quaestionum Philosophicarum Decas

Rostochi[i]: Richelius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729603407>

Druck Freier  Zugang



R u phil 1641

Johannis Michaelis

Peter Runge



ILLUSTRIVM ~~139.~~ 77
QVÆSTIONVM
PHILOSOPHICARVM
DECAS,

Qvam

D. O. M. A.

Consentiente Ampl: Facult. Philosophica
Academiae Rostochiensis

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS MICHAELIS
Stralsundensis Pomer.

Publicæ disquisitioni subjeciet

PETRUS RUNGIUS,
Gettorffia - Holfarus.

*In Auditorio Majori ad diem 2. Octob.
horis à 2. Pomeridianis.*



ROSTOCHI
Ex Officinâ Typographicâ Johannis Richelii,
ANNO clb Idc xli.

LIBRARIUM
UNIVERSITATIS
PHILOSOPHICARUM

D. O. M. A.
M. JOHANNES MICHAELIS

M. JOHANNES MICHAELIS
P. R. O. F. E. S. S. O. R.
P. R. O. F. E. S. S. O. R.

M. JOHANNES MICHAELIS



ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Nihil beatius quàm scire. Nihil divinius quàm docere, nihil propius veræ felicitati, quàm discere *sunt verba magni illius Scaligeri Exerc. 26. S. 1. Ad hoc q. naturâ facti sumus, docente Ariff. 1. Metaph. 1. Ut ita humanitatem exuisse videatur, quem non sciendi ardor ac cupiditas invastit; Unde non immeritò, quæsitus Philosophus quidam, cur filium literas artesq; edoceret ingenuus, respondit; ne olim lapis fideat super lapide. Cum autem facente Hippocr. aph. 1. ars longæ sit, vita verò brevè; proinde vanæ vanâ relinquentes, ea quæ scitu maxime sunt necessaria inquiremus, ubi, si forè non omnia vel hujus vel illius principii consentanea dixerimus, nemo, ut arbitror propterea dicâ nobis scriberet, quandoquidem, ut ille ait, amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Et digna sunt profecto animadversione, quæ F. Patricius in lib. de spacio Physico tradit huius verbi: Nulla magna nomina exhorreamus: Res ipsas verumq; in rebus, veriç; causas investigemus, veritatem veritatis gratia indagemus, illâ enim est divinum illud fermentum, quod in animo Philosophi ita turgere debet, ut neq; ab alio capi, neq; se ipsum capere possit, quemadmodum loquitur magnus ille veritatis alumnus J. Scaliger 1. de Plan. p. 106. Quæcum ita sint, placet ex immenso Philosophia oceano quæstiones quædam selectiores eruere, atq; in medium proferre. Memores autem illius quod Scaliger Exerc. 359 sc. 1. prodidit, nostram hanc in literarum studiis peregrinationem sine suprema luce miserabilem, quædam esse errationem, idcirco ô Magne Deus, tuum Numen supplices veneramur, ut nos spiritu tuo in omnem veritatem deducere, mentesq; nostras obtenebratas gratiæ tuæ sole collustrare elementissime digneris, quo tibi nunc, & porro grata dicere liceat, nobisq; fructifera. Sit ergo*

OS): (SO



I. Quaestio.

*In quo Formalis ratio summi
Boni consistat.*

VARIAE olim extiterunt de summo Bono Philosophorum sententiae, ita ut M. Varro tradiderit, jam suo tempore diversas super hoc Philosophorum opiniones numeratas esse 288. quibus progressu temporis sublatis, duae potissimum de principatu contendere coeperunt. Una Peripateticorum; Stoicorum altera: quorum illi summum Bonum in actione virtutis, hi in habitu collocarunt, de quo prolixius vid. Keck: in Cursu Phil. Disp. 21. Quicquid autem sit de varietate ac dissidio Philosophantium, Nos summi Boni Ethici rationem formalem consistere dicimus in summa & constanti animi tranquillitate ex habitu virtutum perfectissimo nata; quatenus illae ad Dei gloriam & proximi salutem perficiuntur. Asserti hujus rationes breviter dabimus has. *Prima* erit Analogia finis respectu aliarum disciplinarum Practicarum: e. g. Politicæ, Oeconomicæ, Theologicæ, Medicinæ. Quomodo enim in his non spectatur actio vel operatio secundum præcepta cujusque harum disciplinarum, ut ut perfectissima, seu ultimus finis adeoque summum in illis Bonum: sed ulterius vel ad publicum vel commune bonum respicitur, ut in Politicis, vel ad proprium & privatū, ut in Oeconomicis, vel ad utrumque simul, ut in reliquis: Ita & hic ad animi nostri, in delectabili virtutum habitu acquiescentis suavem ac tranquillum statum seu ultimum finem unice fit respectus: Huc media in Ethicis proposita omnia, huc actio secundum virtutem perfectam in vita perfecta, seu ad divinam quandam Helicent ac Cynosuram spectat.

Secunda ratio est de prompta à natura finis disciplinaris, qui est, ut reliqua omnia in illa disciplina pertractata, vel ut subjectum, vel ut media istuc referantur; hic autem ad nullum alium sese superiorem. Pa-
tet

ret hoc de actione animæ rationalis secundum virtutem perfectam. Hoc sine enim aliquis virtuosè agit, & ad perfectionem virtutum aspirat, ut animo ac conscientia tranquilla uti possit per totum vitæ curriculum; quod testatur experientia, testantur Historiæ omnium temporum, æq; inter Gentiles atq; inter Christianos. 3. Pro nostra sententia faciunt *synonyma summi boni* quibus à Philosopho insigniuntur, ut sunt *Eυδαιμονια, Μακαρισμο* & similia, quæ omnia non tam in actione quàm in qualitate consistunt. 4. Confirmat hæc sententiam *contraria summimali Ethici natura*, quod versatur in summa tristitia & angore animi ob antegressa malefacta, quæ tanquam Furie stygiæ animum hominis inquietant, nec ad momentum oculi quiescere permittunt. Unde è contrario relinquitur summum Bonum in hac prædicta animi ob res pulchrè gestas benè conscii acquiescentia & tranquillitate consistere.

Plures impræsentiarum rationes adducere ob brevitatem ipsismet nobis præscriptam nolimus, ut nec argumenta in contrarium allata hic ventilare, utpote publico hæc discursui reservantes.

II. Quæstio.

Quomodo Anima humana propagetur, utrum per traducem, an verò per creationem immediatam.

Plurimæ utramq; harum sententiarum difficultates manent; & illæ quidem, ut videntur inextricabiles. Ab illa enim parte (ut rationes Theolog. nunc taceam) videtur obstare animæ immortalitas, simplicitas, spiritualitas, quæ minus convenienter ascribi videtur elementari & ignobili huic principio, quod vulgo statui affolet; cum tamen nulla causâ toto genere deterior sit effectu suo. Ab hac parte verò quo ad infusionem cœlitus factam, obstaculo est præter alia, difficultas probandi peccatum originis. Undè cum utrinq; tanta se offerant difficultates, merito cum B. Luthero ut & Augustino τὸ ἐπιχειρῆν hic eligerem, potius, quàm ut in re intricata, vel huic vel illi assensû præberem. Ne tamen planè nihil dicamus super hæc inenodabili ut videtur Quæstione; Nos mediam insistendo viam, censemus, ut soli parentum progenerationi absq; interventu superioris causæ, animæ productio ascribi non

bi non potest; sic nec immediata creationi divinæ absq; interventu parentum eadem tribuenda; sed omninò largiendus erit specialis quidā influxus causæ superioris, massam illam feminalem vi omnipotentis divinæ facultate hâc animalis instruens; seu, quod idem est, illam vim prædictæ massæ conferentis, ut præstinato à natura tempore hac animæ rationalis ἐπιελεχία uti frui possit. Quæ causa est ut in aliquam multis scripturæ lucis modò Deo nostro æternum Glorioso in solidum ascribatur animæ procreatio Jer: 38. 16. Job. 10. 7. Pl, 139. v. 15. & seqq. modo homini Gen 46. 25. &c.

Concludimus ergo Animarum ortum certo respectu & hominibus & Deo rectè adscribi. Illis, ut causæ minus principali, quæ tamen vi ordinationis divinæ non omninò ociosa est; sed quod potest confert. Huic autem, ut causæ principali vires suppeditanti, & spiritu suo æterno, qui omnia vivificat, sigillatim in hoc negotio concurrenti.

III. Quæstio.

Materia primæ quinam existendi modus?

Aristoteles 7 Metaph. 3. quando de substantiis agit, inter alia de materia quâ tali sic loquitur: *Αέγω δ' ὕλην ἢ καθ' αὐτὴν μὴτε τι μήτε πῖσον μήτε ἄλλο μὴδ' ἐν λέξει ὅτις ὄρεται τὸ ὄν.* Ex quo constat, in hac de materia prima Hypothesi Aristotelem ipsummet disputare, an talis materia seorsum detur, quamvis hoc sine eam excogitaverit, ut principium hoc suum, Ex nihilo nihil fit, defenderet, adeoq; æternitatem mundi quam vi hujus principii non potuit non asserere, propugnatum iret. Quod autem talis materia prima ab q; forma, nulla detur; sequitur ex hoc Philosophi effato. Quod eim per se nec quid est, nec quantum, nec aliud, quicquam, per quæ ens definitur; id reverà nihil est. At ex verbis Philosophi verum prius. E. & posterius. Quæris autem cum omnia materiata certū quoddā principium constitutivum agnoscant, cum natura abhorreat ab infinito, annon in una aliqua materia tanquā communi principio subsistendum. & si per materiam primam intelligatur internum illud principium materiale, quatenus concretum est cum forma certa ac determinata cujuslibet rei, & in genere omnib; materiis actu competit, libenter illam largimur, sin verò abstractè in natura

tura

tura illam dari, vel unquam datam esse quis contendat, huic subscribere non possumus, moti rationibus seqq. 1. Quicquid est, vel substantia est vel accidens. Materia prima separata à sua forma nec substantia est, quia per se subsistere non potest, sed formæ beneficio, utpote quæ, essentiam ultimato perficit; neq; accidens: sequeretur enim salva rei essentia vel existentia materiam abesse facile posse; quod est contra Principia Physica. E. planè non est. 2. Recipiens debet esse denudatum à natura recepti, tam in receptione reali, quam in receptione spirituali, secundum Aristot. 2. de an. com. 67. & 3. de an. com. 4. Materia prima est commune receptaculum omnium formarum juxta hypothésin Arist. E. denudata est ab omnibus formis, Et per consequ., cum nullam formam obtineat, nullam etiam obtinebit per se essentiam, nisi forsan illud existere dices, quod per mentalem abstractionem à re ipsa præscindendo, ut si corpus naturale concipiam abstrahendo ab internis accidentibus, quantitate, qualitate. Sit ergo conclusum. Materia prima seorsim existens absq; forma homogenea ac naturali prop. loquendo nunquam demonstrabitur.

IV. Quæstio.

Utrum universalia dentur extra Intellectum?

Magna olim lis intercessit cum Platone Aristoteli de Ideis (quas hic universalium nomine salutavit) an tales ideæ subsistant remoto intellectu nostro, quod affirmavit Plato: quæ cum Scorus ut & Rudolphus Agric. lib. I. de Invent. facere videtur. His se magno conatu semper opposuerunt & adhuc opponunt Aristotelici ita inferentes. Quodcumq; subsistit, est singulare. Ideæ non sunt singularia. Ergò. Major constat ex principiis Arist. destructis substantiis primis destruuntur secundæ. Et unumquodq; quò magis recedit à singularitate, eò magis recedit ab ente. Pro decisione hujus controversiæ animadvertendum, quid Platoni veniat nomine Idearum. In Theæteto hoc nomine diviniæ mentis species notionesq; indigetat: quo sensu negari non potest ideis etiam extra intellectum humanum inveniri. Quod si autem præter hanc alteram illam, quam ipsi impingunt Aristotelici, opinionem fovit, quod tamen ex scriptis ejus firmiter probandum, utiq; hæctenus illi patrocinari salva veritate non licet.

V. Quæ-

V. Quæstio.

Naturânè Voces significant an ex instituto.

Voces sunt signa conceptuum, ut conceptus rerum; & utrumq; conjunctim representant; quamvis unum immediatè & primò, alterum secundò & remotè, quod probant Scotus qv. 1. hujus cap. it: Thomas 1. p. q. 13. art. 1. Dominicus de Flandria 4. Metaph. qv. 7. art. 4. Cum ergò hoc loco quæritur, de significatione vocum, non attenditur materiale illarum, prout literis & syllabis earundemq; articulata pronuntiatione constant, citra respectum signandi conceptus: sed formale, quatenus inserviunt rebus ex illarum natura declarandis & conceptui nostro sistendis; quo respectu etiam imagines, & symbola rerum indigetantur. Posteriori modo Arist. voces intelligit, non priori, vide Connimb. cap. 1. de signis Quæst. 4. Art. 2. Deinde Naturâ significare notat vel fundamentum agnoscere in natura, à quo conceptus occasionem impositionis desumit, vel ex se & suâ natura absq; respectu alterius cujusdam facultatis hoc & non aliud denotare. Illo, non hoc respectu Plato in Cratylo voces significare autumat, quo pacto sane Aristoteli nullatenus, imò verò nec vero quicquam dissentaneum dicit. Quando enim Arist. lib. de Interp. cap. 2. de hac materia disputat, ita orationem inflectit, ut non tam fundamentum omnis naturæ, à qua significationis ratio depromitur, quam naturæ brutæ intelligere videatur: quorsum spectat similitudo à beluis desumpta in l. c. Quis n. vocû usus esset, nisi significarent illud, quod esset naturæ rei significatæ conveniens? unde illa convenientia conceptuum cum re significata, nisi penetrando ad rerum intimam naturam, ex eademq; speciem quandam in animo formando, quæ à rebus abstracta atq; animo objecta facultati intelligibili representatur, postea per vocem naturæ illius rei homogeneous effertur. Patet hoc imprimis ex Adami exemplo, qui adductis ad se animantibus non fortuita & ratione carentia nomina imposuit, sed inspecta cujusq; animalis natura secundû hanc ejus denominationes concinnavit, utpote longè sapientissimus naturarum cujusvis horum arbiter. Nec secus omnis sapientiæ Autor ipsi Adamo, Evæ, aliisq; nomina indidit, ad ipsam naturam probè accommodata, ut sacræ literæ asfatim evincunt. Deniq; per Institutum vel Impositionem intelligi potest

potest vel impositio divina, vel humana. Enimverò, cum Deum omnium boni adeoq; & loquelæ Autorem agnoscere oporteat, non equidem video, quomodo & vocum inventionem huic jure denegemus. Unde & Plato in lib. de Recta nom. rat. inspirationi divinæ quædam nomina accepta refert, imò divinam quædam virtutem ab initio hominem instruxisse refert, rerumq; nomina docuisse. Ut ergò Veritas transcendentaliter nihil aliud infert, quàm congruentiam rei cum intellectu divino, ita & vocum significationes primariò sunt ex instituto divino, secundariò autem ex impositione hominum, instinctu hoc verè divino præditorum, ut eà forma voces conflare possint, quæ ad rerum proprietates explicandas quàm proximè accedant.

VI. Quæstio.

An una vox unam duntaxat obtineat significationem propriam, reliquas verò omnes improprias & minus principales?

Decisio hujus quæstionis ex præcedentis controversiæ decisione quodammodo pender: si enim voces ex visceribus naturæ depromptæ sunt, adeoq; rem, ut in se est describunt, non ex vago hominum sibi ipsis non constantium arbitrio, uti contra Protagoram disputant Socratici apud Platonem; si præterea Institutum humanum hac in parte subordinatur instituto divino, ut ex supra dictis liquet, consecrarium esse videtur, uni voci unam eamq; principalem ac verè propriam significationem attribuere: quippe cum re invariata, nec conceptum, nec vocem, quæ utriusq; nota est, variari conveniat; cumq; in fabricandis vocibus Dei quædam imago reluceat, verò quàm simillimum est, omni confusione, quo ad ejus fieri potuit, viam præcludere voluisse, qui primus nomina invenit; cum ordo in omnibus Deo placeat: contrarium a. introduceretur, sicubi plura unius ejusdemq; vocis significata propria aut æq; primaria admitteretur; neq; h. m. unum ab altero internosceretur. Unde gravissimè acutiss. Scaliger, *Unius vocis, inquit, una est significatio propria & princeps, cætera autem communes aut accessoria, aut etiam spuria* lib. 13. de causis LL. cap. ult. Hinc principem significationem in omnibus vocibus rimandum esse censet idem, ad eundemq;

B

tanquam

tanquam tesseram signaq; cæteras esse reducendas quasi legiones cap. 162. ejusd. lib. confer quæ in eandem fermè sententiam scripsit Clariss. Danhaw. in Idea boni Interp. & malit. calum. p. 157. it: Quintilianum l. 1. c. 9. Quæ de re mentem meam uberius ante hæc exposui in Disputationibus meis pro indaganda vocum proprietate.

VII. Quæstio.

An naturaliter probari possit Deum esse Trinum.

Si verum est quod dixit Aristot. 2 Metaph. cap. 1. Intellectum humanum etiam ad manifestissima non aliter se habere, ut oculi vespertilionum ad lucem meridianã, certè in arduo hoc & inenarrabili mysterio SS Trinitatis multò magis id asserendum erit. Quæ enim est proportio puncti ad infinitam magnitudinem, eadem & creaturæ est ad Creatorem. Quare in hoc negotio ex naturæ ductu & principiis quicquam determinare velle, est immensum pelagus tranare velle destitutû scapha. Mirari igitur satis non possumus Doctoris subtilissimi Lombardi confidentiam, quum ex ipsius naturæ vestigiis præclaram hujus mysterii notitiam peti commode posse scribit lib. 1. dist. 3. cap. 6. lit. F. cui astipulatur Scheckius in Antitr. & Apol. contra Genebr. stomachosè disputans; in potentiis animæ representari SS. Trinitatem, & ex hoc fundamento Antitrinitarios posse philosophicè refutari. conf. Mornæ. c. 6. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 6. Keckerm. lib. 1. Syst. Theol. cap. 3. Cæterum pro expediendo hoc negotio, nos Intellectui humano ne dum confusam & generalem hujus tanti mysterii cognitionem concedimus, sed nec accuratam & exquisitam quam illi ex parte jactitant, discussionem. Licet enim natura manudente colligere potuerint, esse Deum, eumq; sapientiss. & potentissimum rerum omnium conditorem æste Paulo Rom. 1. 20. tamen quid, & qualis sit ratione essentiæ unius in tribus personis, id verò ex naturæ lumine haurire non potuerunt. Quod sequenti argum. demonstro. Finiti ad Infinitum nulla est proportio. Intellectus humanus est finitus, imò materiæ fragili immersus; contra Dei essentia est simplicissima, infinita, aliena ab omni materia. Quæ ergo ad invicem erit proportio? Non sanè

sanè tantilla, qvælis est guttæ maris ad Oceanum. Illius enim aliquælis fingi fortean posset ad hunc analogia. Nostri autem intellectus ad divinam essentiam proportio ne quidem excogitari potest; cum hæc actu sit infinita. Concludimus ergo contra Lombardum cum Thoma part. 1. qvæst. 32. dupliciter fidei Christianæ derogare eum qui Trinitatem personarum ex naturæ principiis probare satagit. 1. Qvæ fides est de invisibilibus qvæ rationem superant. Mysterium a. hocce est ex numero invisib. Deum enim nemo vidit Joh. 1. E. est res meræ fidei, & per conseq. rationi vendicari, ac transcribi non potest. 2. Qvæ hac ratione ludibrio exponeretur fides Christiana, siquidè illa angustis rationis nostræ cancellis describeretur, contra manifestiss. scripturæ dicta Matth. 11. 27. Rom. 11. 33.

VIII. Qvæstio.

An Monarchia sit perfectiss. Reip. status?

Nullibi gravius ab hominibus peccari, & periculosius errari quàm in Politicis, affirmat Danæus in Polit. suæ Proæmio. Id quod etiam in hac Controversia longè nobilissima videmus usu venire, in qua diversæ reperiuntur Politicorum sententiæ, aliis pro Aristocratiâ, pro Democratia item aliis contendentibus, adèd ut impedita res esse videatur in hoc sententiarum divortio certi quid determinare. Cum enim particulares circumstantiæ temporum, locorum aut personarum sæpè numero aliam regiminis formam videantur præ Monarchia eligendam suadere, videtur ex eo inferri, non esse absolutè primas defendendas Monarchico statui, cum aliquid intervenire possit, quod ad reliquas Rerump. formas præferendas incitamento esse queat. In quam sententiam vergit Bodinus, qui vid. 6. Polit. cap. 4.

Coeterum pro discutienda hac qvæst. Dist. inter illud quod per se & suapte natura melis, dignius, & in rem communem conducibilis est, & inter id, quod per accidens pro diversa temporis aliarumq; circumst. conditione optabilis est. Sic vinum ex rei natura præstantius est aquâ, intereà tamen febricitanti magis præferenda est quàm vinum. Ita quamvis Paulus coelibem vitam per se conjugio anteponat, nihilo secius tamen pro respectu personarum ad hoc vitæ genus ineptarum

conjugium cœlibatui multis modis præfert i. Cor. 27. 8. Ut nihil dicam de Analogia hujus status cum supremi Monarchæ totius universi Imperio; naturæ duntaxat vestigia si legere volumus, in apib. expressissimus status Monarchici videtur ac deprehenditur character; quod si enim præter ordinarium suum, quem vocant regulum alium, sibi aliunde venientem observant, illum ad unum omnes insectantur, atq; aculeis suis conficiunt. Maneat ergo illud vetusti Poëta

Οὐκ ἀραθὲν πολυχειρανίη, εἰς κείραν @ ἔσω.

IX. Quæstio.

An Metaphysica insignis quædam sit Utilitas?

Supervacanea hæc quidem posset videri quæstio, cum res ipsa pro se loquatur, atq; in dies divinæ Metaphysicæ usum deprehendant, qui cum fructu & in Theologia & in Philoſophia versari animum induxerunt: Cum tamē etiam in manifestissimis contradicentes invenias, qui vel ipsa clara meridie solem lucere, vel Varnum undis scatere negent, in gratiam horum unum atq; alterum argument. pro utilitate Metaphys. adducam. 1. Terminorum universalis. notitiā nemo cum damno suo carere potest. Metaphys. agit de his terminis E. Major patet ex natura appetitus humani, qui proletaria illa ac superficialia terminorum partic. cognitione contenta non est, sed ulterius progreditur ad universalia eaq; speculatur, donec ad summum Ens demum delabatur, ejus naturam, affectiones, modosq; distinctè considerando, quæ ratio etiam fuit inveniendæ hujus disciplinæ, cum omnes homines naturâ scire desiderent, teste Philosoph. i. Metaph. i. Minor in confesso est apud omnes qui saltem norunt, quid distent erva lupinis. 2. Quodcunq; feliciori progressui in aliis facultatibus atq; scientiis intervit, istud citra controversiam utilissimum est, Talis est Metaphys. E. Minorem si non aliter quàm ex Theologicis controversiis quæ cum Photianis, orthodoxis intercedunt, planam facerem, fidem argumento huic abundè fecissem. Sed hæc ubi necessum erit, in discursu pub. amplius deducentur.

X. Quæ-

Intellectus noster quomodo se ipsum intelligat?

Non ex infirmi subsellii quaestionibus hæc de intellectu humano reputanda est. Cum enim de re spiritali (philosophicè loquor) disceptetur, anima autem nostra utpote corporeis inclusa vinculis, segnius advertat, quæ naturam spiritalem redolent, hinc adeò fit, ut in istiusmodi rebus percipiendis miserè sæpè hallucinetur. Unde si non omnia accuratè satis perquiramus in hac materia, æquos nobis hac in parte arbitros promittimus. Ac primò quidem quod seipsum intelligere queat intellectus, fatetur Scaliger exerc. 307. l. 2. *sane*, inquit, *haberet ipse Deos valde iratos qui se sibi invidissent, si se ipsum non intelligeret*: nec ratio diversitatis usq; adeò magnà hic dari potest, quò minus se ipsum æquè ac alia sui similia cognoscat: si n. sensui comuni & sui & reliquorum sensuum advertentia & discretio ascribitur, quantò minus intellectui, ut longè digniori facultati simile quid derogabimus? Ast hic de modo quaeritur. An intellectus semetipsum intelligat per speciem, ut in reliquorum cognitione, an verò per reflexionem. Posterius visum est Scaligero in prædicta exercit: Verùm si ex vero rem æstimare volumus, non poterit intellectus hac quoq; in parte per speciem, quædam intelligi non intelligere. Licet enim hic quædam circulatio aut reflexio intellectus detur juxta Philos. 1. de an. t. 46. nihilominus tamen in ipso actu reflexionis species quædam animo concipitur ad modum aliarum rerum immaterialium nobis objectarum, quæ quidè primò fit per speciem rei materialè sumi alicujus, aut spiritus subtilis, sicuti lineam mathematicam concipimus ad modum filii extensæ, & punctum, ut parvum corpusculum, ut loquitur Danhaw. in Disp. 7. Colleg Psycholog. Quod ut rectius intelligatur, naturam intellectus aliquantò alius repetemus. Ac primò quidem ad intelligentiam requiritur facultas *νοητικη*, quæ quia ad utramvis partem contradictionis ex æquo se habet, passiva rectè censetur. Nequæ enim fieri posset, ut de actu in actum q. migrationem ac transitum faceret, nisi subesset potentia, quæ tam differentes actus conciperentur. Cum autem nihil in potentia existens vel à se ipso pati, vel se ipsum ad actum deducere possit, prout ex Arist. infert celeberrimus olim Philosophus Dn. M. Slekerus in

rus in Disp. quadam De natura Intellectus hinc loci habita; hinc secundò objectum intelligibile requiritur, potentiam hanc Intellectivam aliàs indifferentem ad quascunq; species intelligib. ad certam quandam materiam determinans, Unde resultat 3. Intellectus agens, s. ipsa actualis intellectio, beneficio phantasmatum res ab intellectu, ut vocant patiente objectas actu cognoscens, ac dijudicans. Simili rem declarabo; Voluntas nostra antequam objectum ab intellectu monstratum eligit, indeterminata est ad utramvis contradictionis partem, ut possit vel eligere, vel aversari; assensumq; vel præbere liberè, vel eundem suspendere. Accedente autem objecto appetibili ab intellectu dijudicato voluntas nostra excitatur, & indifferentia ejus per hoc determinatur, ut ita exurgat actualis voluntas, sive in actum deducta ab objecto suo, à mente intellecto & monstrato. Pariter cum intellectu humano se res habet, ut antea demonstratum. Hinc illæ similitudines ab Aristotele suppeditatæ, quando partim tabulæ nudæ, in qua actu nihil est inscriptum, omnia tamen pro re nata inscribi possunt, eam comparat, partim lumini, radiis suis aliquid illustranti, coloresq; potentia existentes actu existere facienti; 3. de an. cap. 4. tit. 14. & cap. 5. tit. 18. Et quia *παρεμφανόμερον κωλύει τ' ἀλλότριον καὶ ἀνιφερατὴν* hinc & intellectus passibilis immixtus esse debet ab eò quo patitur; id est nullas species intelligibiles actu in se continere debet, qui error est Platonis, Simplicii, atq; Adelandi Maurorum primi. Quemadmodum enim consensus. v. g. visus ab objecto visibili denudatus atq; impermixtus esse debet, siquidem officio suo ritè per fungi velit. Ita intellectus noster ab omnibus intelligibilibus *ἀμιγής & ἀπαθής* esse debet, ita ut nullam speciem certam præcipuam, familiarem, genuinam, præscriptam, & consignatam privatim possideat. T. 19. lib. 3. cap. 5. de an.

Ex his præsuppositis patet, quid de controversia præsentistatuum. Etenim cum omnis omninò intellectio per speciem quandam animo objectam fiat, sequitur & illam, quâ Intellectus se ipsum intelligit, hoc modo fieri; utut enim verum sit, quod antea diximus, Intellectum per se & sua natura expertem esse debere illius quod sub intellectum cadit, id est, rerum intelligibilium; jam autem intellectus à

se

se ipſo nunquam abeſſe queat; attamen hinc inferre non licet, intelle-
ctum ab intellectu ſui ipſius alienam eſſe; quandoquidem intelle-
ctus ſibi quidem præſens eſt in eſſe rei, non tamen in modo cognoscen-
di, quo indiget ſpecie ad ſe cognoscendum: Omnia enim cognosci-
mus, ut aliquandò ſenſata: nihil eſt enim in intellectu quin prius fue-
rit in ſenſu. Undè diſtinguimus cum Clarifſ. Dn. Danhawero ex
Diſput. 7. Collegii Phycholog. inter id quod entitativè, & inter id
quod objectivè præſens eſt: poſteriori modò cum Intellectus ſibi nun-
quam præſens ſit, niſi quando cogitationes ad ſeipſum reflectit, ac de-
ſepariter, ut de aliis objectis ſpeciem quandam eſſormat, idcirco oppo-
ſitum illud argumentum de reali objecti præſentia in auras eva-
neſcit. Plura de his non accumulabimus, ſed commodiori
tempori reſervabimus.

Soli Deo Gloria.



Ad Humanifſimum & Literatiſſimum

DN. RESPONDENTEM.

Non pœnitendam doctè Rungi inſtas viam,
 Qvi poſthabendo vanitatum ſomnia,
 Qveis vexat orbem turgida ignorantia,
 Præclare magni Stagiritæ dogmata
 Menti, nec oſcitanter, inſculpis tuæ.
 Quo præparare te per hæc ad ardua
 Poſſis Sophiæ cœlicæ myſteria,
 Hanc publicè jam nunc probas induſtriam
 Favente ſummi Numinis clementiâ.
 Nec uſq; virtus alma deliteſcere
 Amat, nec privos inter abdi pariètes,
 Virtus Eòo & Heſpero formoſior.

Nec

Nec otio torpere fœvit, aut inertia
Mens huicce consecrata contabescere.
Sic perge collocare dotes ingeni,
Tandem ferēs optata laudum præmia.

M. Joh. Michaelis.

Sint quos à studiis reclinat inertia mollis.
Desidia ut studeant sumendo turpiter annos.
Verum tu Sophia conare cacumina celsa
scandere, quod laudis monumentum firmitus ære
Quod non imber edax, series nec diruet annuum
Pones, & Μετῶν te gloria magna manebit.

Φιλίας ἐνευξέ f.

Tobias Qvistorpius, Berl. March.

ΣΤΙΧΑΡΜΑ


Ad Præstantiss. Dn. Respondentem.

Spectandus in certamine Pallados
Luctaris, iclus impiger excipis,
Nixus Johavæ Præsidisq;
Auxilio & clypeo potenti.
Belli secundos expetis exitus?
Cum laude, veri proruet integrum
Vis firma victorem, secundis
Auspiciisq; ferēs trophæum.
Assurge saltem, pectore & arduo
Obstite nunc infultibus hostium
Quos excitabunt; sed quod omen
Præmeditor? Referēs trophæum.

I. H. W.

se ipso nunquam abesse queat; attamen hinc
 etum ab intellectu sui ipsius alienam esse
 etus sibi quidem praesens est in esse rei, non ta
 di, quo indiget specie ad se cognoscendum
 mus, ut aliquando sensata: nihil est enim in
 rit in sensu. Unde distinguiamus cum Cla
 Disput. 7. Collegii Phycolog. inter id quod
 quod objective praesens est: posteriori modo
 quam praesens sit, nisi quando cogitationes ad
 separiter, ut de aliis objectis speciem quandam
 situm illud argumentum de reali objecti p
 nescit. Plura de his non accumulabimus
 tempore reservabimus

Soli Deo Glo



Ad Humanissimum & Lit

DN. RESPONDE

Non poenitentiam docte Rung
 Qui posthabendo vanitatum
 Qveis vexat orbem turgida ig
 Praclare magni Stagiritæ dogma
 Menti, nec oscitanter, insculpitu
 Quo praeprare te per hæc ad ard
 Possis Sophiæ coelicæ mysteria.
 Hanc publicè jam nunc probas in
 Favente summi Numinis clemen
 Nec usq; virtus alma delitescere
 Amat, nec privos inter abdi parie
 Virtus Eo & Hespero formosior

Nec

